



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **AMBOSITRANA** IN MADAGASCARIA
NOVA CONDITUR DIOECESIS AMBOSITRANA Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in
Madagascar eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut in eadem Natione nova
constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium
Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Hadriani
Bernardini, Archiepiscopi titulo Faleritani atque in Madagascar Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt
esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem
sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Fianarantsoaënsi archidioecesi separamus
territorium districtum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Ambositra, Fandriana, Ambotofinandrahana; ex eoque
novam constituimus dioecesim *Ambositranam*, quam metropolitanae Ecclesiae Fianarantsoaënsi suffraganeam facimus
atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in
urbe « Ambositra » atque paroeciale templum ibidem exstans, Deo in honorem Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis
dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae
praescipimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Hadrianus Bernardini, quem diximus, quique, re acta, curabit
documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Has denique
Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo
nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

| | |
|---------------------------|---|
| ANGELUS card. SODANO | IOSEPHUS card. TOMKO |
| <i>Secretarius Status</i> | <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i> |

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, pp. 1026-1027 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana